129

I. N. J.

DISSERTATIO JURIDICA,

DE

JURE CIVILITATIS

vulgò

von Bürgerrecht/

Quam

Auctoritate & conſenſu Magnifici JCtorum Ordinis
in Electorali VVittebergenſi Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI CONSULTISSIMI

DNI. WILHELMI LYSERI,

J.U. D. & Cod. Profeſſ. Publ. &c. &c.

Domini Patroni ac Præceptoris
piè devenerandi,

ad Diem 19. Mart. Anno 1681.

publicæ cenſuræ ſubmittit

CHRISTIANUS Fehre/
VVurz. Miſn.

IN AUDITORIO JURIDICO.

WITTENBERGÆ,
Typis JOHANNIS WILCKII.

Digitized by Google

REGIMINIS CONSISTORIIQVE
ECCLESIASTICI
ELECTORALIS SAXONICI
qvæ
WURZENÆ
ſunt
DOMINIS, DOMINIS,
CAPITANEO,
CANCELLARIO,
CÆTERISq;
CONSILIARIIS ET AS-
SESSORIBUS,
VIRIS
*GENEROSISSIMIS, MAGNIFICIS, MAXIME REVEREN-
DIS, NOBILISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS*
DOMINIS SUIS GRATIOSIS,
MÆCENATIBUS MAXIMIS
Hoc qvicqvid eſt ſcriptionis Academicæ
Cum eoq; ſtudia ac fortunas
ſuas
Obſeqvium fidemq; boni Civis
qvomodocunq; teſtaturus,
D. D. D.
CHRISTIANUS FEHR.

Digitized by Google

I. N. J.

§. I.

Qvamvis nos non lateat, civilitatis vocem alio prorſus ſenſu, qvàm à nobis,adhiberi ab Authoribus, qvi per eam interdum deſignant tuendæ & conſervandæ civilis ſocietatis prudentiam, qvam πολιτικὴν appellat Plato: Nonnunqvam virtutem illam, qvæ ad familiares congreſſus pertinet, & omnem vultum habitumq; corporis,qvin ipſam orationem, ad qvandam decori ac elegantiæ rationem diſponit: Rurſus etiam pro alia virtute, qvæ actꝰ & vitam publicam reſpicit, atq; in gravitate qvadam & modeſtia conſtituta,ſuperbiæ, crudelitatiq; opponitur, qvam Auguſto Svetonius tribuit, & cum clementia conſtringit: Auguſt.Buchner.in theſ.Fabr.h.voce. Placuit tamē facultatem illam moralem, qvæ ſingulis inhæret civibus,ut ſecundum eam privilegiis ac juribus civitati competentibus frui poſſint, hoc vocabulo ſignificare, partim ob authoritatem JCtorum,Pauli Matth.Wehneri, *obſ.pract.lit.B.verb.* Bürgerrecht.Chriſtoph.Beſold, *theſ.pract.lit.S.v.* Stadt.Philipp.Knipſchild *de Juribꝰ Civit.Imper.lib.2.c.29.*aliorumq; : Partim etiam, ne ex titulo qvis conjecturare poſſet, nos de jure civitatis, qvod à ſolo Imperatore alicui loco conceditur,acturos eſſe.

§. 2. Qvoniam autem hæc facultas non omni, qvi civis dicitur,plenè ac propriè competit,ſed qvibusdam ſaltem ex parte,qvadantenus & impropriè: Hinc ad evitandas

 ambi-

Digitized by Google

ambiguitates neceſſarium erit diſtingvere jus civilitatis in *plenum* & *minus plenum* ſeu partiale, qvam diſtinctionem expreſsè comprobant qvorundam locorum loqvendi formulæ, ubi plenum jus civilitatis vocatur, das groſſe Bürgerrecht / partiale, das kleine Bürgerrecht / teste Dn. Arumæo *de jure Publ. Vol. 2. Diſc. 9. n. 79.* Adde Knipſchild *l. c. n. 34. & 35.* Chriſtoph. Beſold. *in Synopſ. Polit. lib. 1. part. 2. c. 15. n. 8. & 9.*

§. 3. Partiale civilitatis jus adſcribitur 1. *Incolis*, qvi in aliqvam regionem ſine intentione diſcedendi, domicilium ſuum, i. e. larem rerumq; ac fortunarum ſuarum ſummam, *l. 7. C. de incol.* contulerunt, & vel in oppido morantur, vel in oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum ſe, qvaſi in aliqvam ſedem recipiant, *l. 239. §. 2. ff. de V. S.* Hi enim ſaltem emunt, vendunt, contrahunt, foro, balneo, & ſpectaculis utuntur, feſtosq; dies celebrant, prout loqvitur JCtus in *l. 27. §. 1. ff. ad Municipal.* ac proinde veri ac pleni cives non ſunt, ſed illis opponuntur *d. l. 7. C. de incol.* Obligantur tamen ſtatutis civitatum, qvas incolunt, *l. 29. ff. ad municip.* & diſpoſitum in cive, ratione ſimilitudinis inter eos exiſtentis, locum etiam, in favorabilibus ſcilicet, habere videtur in incola, *l. unic. C. ubi petant. tutor. l. 11. C. de Appellat. Arumæus l. c. n. 77.* Knipſchild *l. c. n. 78.* Qvæ tamen fallunt in eo incola, qvi in civitate commoratur, non tamen oppidani, ſed alterius Magiſtratus jurisdictioni eſt ſubjectus, veluti ſunt, qvi in urbibus provincialibus immediatè Præfecturæ parent, aut etiam in Univerſitatibus Academicis. *Carpz. P. 5. C. 12. D. 16. n. 2.*

§. 4. (2.) Propriè cives non ſunt *cives privilegiarii*, Dav. Mevius *P. 5. Dec. 268. n. 1.* qvibus libera habitatio & exercitatio, artis ſuæ, antehac fortè in urbe non exercitæ, intuitu

eſt

eſt conceſſa. Hi enim qvoad onera civium conditionem non ſubeunt, *Idem d. Deciſ. 268. n. 4. & P. 3. Deciſ. 156. Philipp. Decius Conſ. 283. n. 9. & 457. n. 15. Hippol. de Marſil. ſingular. Opin. 519. n. 2.* qvoad beneficia tamen ſimili cum civibus jure potiuntur. *Hieron. Magonius. Deciſ. Florentin. 60. n. 4. Nic. Boërius, Deciſ. Burdegal. 13. n. 21.* & ſtatutis, qvæ civium mentionem faciunt, comprehenduntur. *Joh. Petr. Surdus lib. 3. conſ. 437. n. 1. Mev. d. Deciſ. 268. n. 5.* nec poſtea ad aſſumendum jus civium cogi poſſunt, *Idem P. 4. Deciſ. 85. n. 3.* Cum civitas non poſſit revocare immunitatem conceſſam pacto, vel conventione, *l. 5. ff. de Decret. ab Ordin. fac. ibiq; Bartolus, Octav. Cacheranus Deciſ. Pedemont.* 95. *n. 11.* & qvod ab initio fuit voluntatis, fiat poſtea neceſſitatis, *l. 5. C. de O & A. Mevius d. Deciſ. 85. n. 2.*

§. 5. (3.) Adſcribitur qvoqve *Civibus honorariis*, qvibus præter ſplendorem & dignitatem nihil cum veris civibus commune eſt, ſed nomen civium ſolùm æqvivocè gerunt, jura non attingunt. Chriſt. Liebenthal/ *Coll. polit. Exerc. V. concl. 50.* nec ullo imperio illius civitatis, cujus ſunt cives honorarii, tenentur. Arumæus *l. c. n. 81.* Ita olim Herculem & Alexandrum M. Corinthii, Evagoram Cypri Regem, Antigonum ac Demetrium, Aſiæ Reges, nec non Dionyſium, Siciliæ Tyrannum, Athenienſes, Ludovicum XI. ac ceteros deinceps Galliæ Reges, ut & Würtenbergiæ Duces, Helvetii, Hiſpaniæ Reges, & Ericum, Ducem Brunſvicenſem, Veneti ſuâ civitate donarunt. Joh. Bodinus de *Republ. lib. 1. c. 6. p. 87.* Arniſæus *de Rep. lib. 1. c. 5. ſect. 9.* Chriſtoph. Beſold. *l. c. n. 10.*

§. 6 (4) Ad partiales cives refert Arumæus *l. c. n. 80. ſeq.* & Knipſchild *l. c. n. 35.* illos, qvi jus civilitatis *ex fœdere* ſunt conſecuti, cujusmodi fœdus mutuum inter Valleſios & qvinqve pagos Helvetiorum minores ictum eſſe anno

 1527.

1527. inter Bernates & Friburgos 1505. item inter Genevates & Bernates anno 1558. teſtis eſt Bodinus *l. c.* Ceterum cum hæc fœdera eam vim habeant, ut mutua inter confœderatos ſit civitatis communicatio & amicitiæ fides, ita ut qvi ex fœderatis ſociis ſua civitate deſerta ſociorum civitatem adire malit, momento civis ac ſubditus efficiatur alterius civitatis, ſine cooptatione, rogatione, aut reſcripto ſingulari, qvæ verba ſunt Bodini *l.c.* & Knipſchild *l. c. n. 83.* potius eſt, ut ex confœderatione cives, poſtqvam in alteram civitatem tranſierunt, pro veris ac plenis habeamus. Qvod etiam pateſcit ex Romanorum & Carthaginenſium fœdere, ubi cautum: In Sicilia, ubi Carthaginenſes imperaverint, item Carthagine, omnia Romanus facito, vendito, qvæ civi licebit: Idem Romæ Carthaginenſi jus eſto: Qvo de fœdere ex Polybio eleganter diſſerentem vid. Chriſtfr. Wæchtler, *diſſert. moral. de Juſtitia & Jure belli primi punici, §. 7. ſeqq.* Niſi forte ex literis fœderum expreſsè conſtet, ejusmodi cives reliqvis civibus non qvoad omnia jura exæqvatos eſſe.

§. 7. (5) Pro partialibus civibus habentur *Forenſes*, qvos deſcribit Arumæus *l.c. n. 86.* eſſe advenas, qvi habitationem in civitate conſtituunt, diſceſſuri tamen, & foro, nundinis, & commerciorum jure, ſecundum mores & leges civitatis, uti poſſunt. Pertinent huc non modo nobiles, Studioſi, milites, mercatores, opifices & artifices, qvi commorandi & negotia ſua tractandi, domicilii autem conſtituendi in civitate voluntatem non habent. Althuſ. *c. 5. Pol. n. 18.* Sed etiam illi, qvi qvandoq; peſtis, belli, hoſtiumq; metu ad evitanda damna cum familia & ſuppellectile in urbem aliqvam confugiunt, ibiq; per aliqvot ſæpè annos degunt, qvi tamen non cenſentur prius domicilium amiſiſſe, aliudq; in loco, qvo nunc commorantur conſtituiſſe: Joſeph. Maſcard *de Pro-*

de Probat, Vol.1. concl.535.n.26. ſeqq. Heinrich. Hahn. ad Weſenb. *tit. ad Municipal. n. 4. in fin.*

§. 8. Plenum ac propriè ſic dictum Civilitatis jus definitur à Knipſchild *l.c. n.4.* ex Philippo Hœnonio, *Pol. diſp.2. concl. 24.* qvod ſit poteſtas utendi fruendi omnibus commodis, privilegiis & libertatibus civitatis. Verum cum hæc definitio facili negotio applicari etiam poſſit illi juri, qvod à ſolo Imperatore vico aut pago conceditur, hinc aliam, qvæ propter inſertam cauſſam efficientem, & ſubjectum, magis exprimit naturam hujus juris, adſcribemus: nempe *civilitas eſt jus, omnibus ac ſingulis civitatis juribꝰ ac privilegiis fruendi, à civitate, vel, qvi in ea eſt, Magiſtratu collatum illi, qvi ſe ad obſeqvium oneraq; civilia obſtringit.*

§. 9. Cum verò omnes cives aut naſcantur, aut fiant, *l.1. pr. ff. ad Municipal. l.7. C. de Incol.* ac proinde dicantur aut Originarii, naturales & neceſſarii, qvos facit aut nativitas, aut manumiſſio, aut adoptio, Colleg. Jur. Argentor. *tit. ad municipal. n.3.* aut Voluntarii & aſſumti; Inde Jus civilitatis ratione modorum, qvibus id conſeqvimur, videtur dividendum eſſe in *Originarium* & *Voluntarium.* Originarium competit illis, qvi ex civitate aliqva originem traxerunt, ita ut ex patre cive nati ſint, *l.1. L.6. §.1. L.17. §.9. ff. ad municipal.* Tranſit ergo ad liberos à parentibus, Philipp. Decius, *conſ.661. n.8.* & qvaſi hereditarium eſſe videtur, non qvidem abſolutè, ſed aliqvo duntaxat modo: Niſi inveterata qvadam conſvetudine aut ſtatuto aliud ſit introductum, uti Wormatiæ, & pluribus hodiè in locis, ubi hoc jus perſonale eſt, & cum perſona extingvitur. Adrian. Gylmann. *Tom. V. Symphorem. relat. 10. fol. 47. & 50. n.6.* Georg. Ludvv:

Lin-

Digitized by Google

Lindenſpür. *in Comment.* über die Fürſtl. Würrtenbergiſche Landesordn. *fol.* 4. Wenner. *in teſ. pract. l. c.*

§. 10. Qvid ſi verò qvis ex patre natus eſt ante cooptionem in numerum civium, dubitari poſſet, an pro cive originario haberi debeat,· *arg. l. 11. C. de Dignitat. lib. 12.* qvæ Senatoris vel Clariſſimi filium privatum eſſe dicit, editum anteqvam pater ſuſciperet dignitatem: Reſpondemus, Verba hujus legis 11. initialia, corrigi per ſeqventem Verſiculum: *Cum autem*: Dionyſ. Gothofr. *ad h. l. lit. n.* Gerhard. Feltmann. *ad l. 5. ff de Senator. n. 4.* Qvod enim nihil interſit, ſive qvis jam in Senatoria dignitate conſtitutus ſuſceperit filium, ſive ante dignitatem ſenatoriam, apparet *ex l. 5. ff. de Senatorib.* Nec obſtat argumentum *L. fin: C. de Decurionibus.* Siqvidem tractat caſum planè ſingularem, ubi ſine ſpeciali Principis privilegio, propter ſupervenientem patris dignitatem, nexu curiali minimè eximuntur filii, ante patris dignitatem muneribus curialibus obnoxii. Pro noſtra verò ſententia faciunt *L. 2. §. 2. ff. de Decurionibus L. 9. §. 14. ff. de Pœnis:* Adde in ſimilibus qvæſtionibus Chriſtoph: Beſold; *Synopſ: Polit: l. c. cap. 16. n. 8. ſeq:* Joh. Wurmſer: *in Faſc: Jur: Publ: Exerc: 2. th. 15.* cum Dd. allegatis, & B. Carpz. *Jurispr: Forenſ: P. 2. C. 10. Def: 32.* Hæc ita ſe habent, niſi ſpeciali alicujus civitatis ſtatuto aliud ſit introductum, qvale qvid Hamburgi obtinet, ubi diſtingvitur, an liberi jam jam compleverint annum ætatis duodecimum, cum pater in civium conſortium reciperetur, nec ne: Priori caſu pro extraneis habentur, poſteriori verò fruuntur origine parentum. Hamburgiſch Stadtrecht: *part: 1. tit. 2. art: 3.*

§. 11. Nativitate qvoq; materna fieri civem putat

Baldus

Baldus in *L. 1. ff. ad Municip. n. 2. & 3.* citatus Gylmanno *l. c. n. 4.* & Wehnero *l. c.* Ejus tamen verba cum grano ſalis accipienda ſunt; Regulariter enim patris originem unusqvisq; ſeqvitur, nec ſufficit origo materna, etiamſi qvis ſpeciale reſcriptum obtinuerit, *l. 36. C. de Decurionib.* Exceptio eſt, 1 ſi civitas materna id privilegium habeat, ut liberi ex legitimis nuptiis nati, matrem, non patrem ſeqvantur. *l. 1. §. 2. ff. ad Municipal. l. 22. L. 61. L. 62. C. de Decurionibus.* 2. Si filius in captivitate natus, cum matre poſtliminio reverſus fuerit, *l. 1. C. de poſtlim. reverſ.* Boërius *d. Deciſ. 13. n. 37.* Nam & talis, licet ex legitimo matrimonio natus, jure Civili habetur ſpurius. *l. 25. ff. d. tit. l. 1. §. 3. ff. ad SCt. Tertull.* 3. Si qvis legitimum patrem non habeat, *l. 1. §. 2. l. 9. ff. ad Municipal. l. 19. l. 24. ff. de ſtatu homin.* Coll. Jur. Argent. *l. c. n. 4.* Brunnemann. *ad l. 5. ff. ad Municip.* Schüz. *Compend. Jur.* Lauterbach. *tit. ad Municip.* B. Nothum qvidem numero civium Romanorum excludit Alciatus *lib. 4. Parerg. cap. 6.* Anton. Faber *ad l. 17. ad Municip.* Sed rectè refutantur ab Oſvvald. Hilligero *ad Donell. lib. 6. c. 17. lit. q.* per *l. 17. ff. de ſtat. homin.* potiusq; civem Romanũ, non tamen optimo jure, eſſe aſſeritur. Qvod ſi legitimatus fuerit per ſubſeqvens matrimonium, Arumæus *l. c. n. 50.* aut reſcriptum Principis, Gloſſ. & Joh. de Platea *ad l. filios, C. de Municipib:* patris originem accipiet. Si autem planè ignoretur origo paterna vel materna, qvod in expoſititiis infantibus evenit, cenſentur cives illius civitatis, ubi ſunt expoſiti. Arumæus *l. c. n. 51.* Wolfg. Jac. Sattler *de Jur. univerſ. concl. 3. lit. c.* Knipſchild. *l. c. n. 100.* Boërius *d. Deciſ. n. 41.*

§. 12. Sed nec illud dubio caret, ſi qvis v. g. natus Lipſiæ, patrem habeat civem Wurzenſem, avum verò origine Dresdenſem, cujusnam loci civis Originarius dici debeat: Barboſa *ad l. 19. §. 2. ff. de Judic. n. 24. & 25.* & Amaya *ad tit. C. de Incol. n. 5.* exiſtimant, ſubſiſtendum eſſe in origine patris,

Digitized by Google

qvamvis hic, ratione propriæ Originis, ſit alterius civitatis. Verùm huic opinioni obſtat partim, qvod pater & ſui patris origine ſit cenſendus, partim qvod juxta *l. 17. §. 9. ff. ad Municipal.* nepos filii adoptivi ſeqvi debeat originem avi naturalis: Gloſſa & Joh. de Platea *l. c.* dicunt, qvod nepos teneatur ſeqvi originem avi, qvando editus ſit in ejus poteſtate: Qvod ſi avo defuncto continget naſci, tunc originem patris; Sed nec hæc ſententia ſatis videtur firma: Nam jus patriæ poteſtatis nihil confert ad locum originis, qvi nudum naturæ factum reſpicit. Prætereà fortè utilius eſſet poſthumo, cenſeri origine avi, qva ratione oporteret, ut qvi adhuc in utero, pro jam nato haberetur, licet poſt mortem editus. *l. 7. ff. de Stat. homin.*

§. 13. Si dicendum qvod res eſt, apparet, hanc qvæſtionem planè otioſam eſſe, ſi reſpicias ſtatum Reip. Romanæ, ubi origine propria nemo ſua voluntate ſe eximere poterat, & qvamvis domicilium alibi conſtitueret, nihilominus in civitate origmaria oneribus manebat obligatus, *l. 4. l. 5. C. de Municip.* Impoſſibile itaq; erat, ùt pater & avus diverſorum locornm originarii cives olim eſſent. Hodie verò, cum locus paternæ originis non impediat filium, qvo minus jus civilitatis ubicunq; velit, acqvirere, ac originariũ dimittere poſſit, hinc nepoti non proderit civilitas originaria avi, qvando pater, per qvem debet transmiſſio fieri civilitatis in ipſum nepotem, effectus eſt inhabilis ad transmittendũ, deſerendo propriam civitatem; Joſeph. Maſcard. *de probat: Vol. 3. concl. 1146. n. 10.* Sed nepos cenſebitur civis originarius illius loci, ubi pater civis fuit. Qvod autem filius cenſendus ſit origine patris, in tantum verum eſt, ut etiam, ſi qvis extra patriam à peregrinante, vel ex qvacunq; cauſa abſente naſcatur, ratione ſubjectionis originem patris ſeqvatur.

qvatur. Joh.Brunnemann: *ad l.3.C.de Municip:* Speciale eſt Antvverpiæ, qvod ſola nativitas efficiat civem, ſive parentes ibidem domicilium & jus civitatis habuerint, nec ne. Wehner. *in theſ. pract. l.c.* Heinrich.Hahn.ad Weſenb. *tit.ad Municip.n.3.*

§. 14. Sicuti autem per Nativitatem verè originarii cives fiunt, ita & aliis fictio juris originem tribuebat, adoptatis ſcilicet, ac manumiſſis. Nam adoptati, & qvi ex his naſcebantur, qvamdiu non emancipabantur, ſeqvebantur originem qvoq; adoptantis, *l.15.§.ult.l.16.ff.ad Municip.* Ita tamen, ut ſimul ad onera muneraq; naturalis originis obligati permanerent. *l.7.C.de adoption:* ibiq; Brunnem. Manumiſſi verò, eorumq; liberi, ſeqvebantur originem vel domicilium patronorum, *l.6.§.ult.l.22.pr.* & *§.2.l.23.pr.L.27.pr.l.37.§ 1.ff. ad Municip.* in tantum, ut ſi qvis manumiſſus fuerit, vel à pluribus, diverſam originem habentibus, *l.7.ff.d.t* vel à patrono duarum civitatum municipe, *l.27.pr.ff.d.t.* & ipſe libertus plurium civitatum municeps fieret. Qvod ſi qvis ex teſtamento libertatem conſeqveretur, inſpiciendum erat, an directam libertatem, vel ob contumaciam heredis, ex Decreto Judicis acceperit, an verò fideicommiſſariam: Priori caſu originem teſtatoris ſeqvebatur, poſteriori verò fiebat heredis libertus, ejusq; civitatis jus obtinebat, unde, qvi libertatem præſtiterat, erat *l.2.C.de Municipib.* ibiq; Brunnemann: Idem juris in hominibus propriis eſſe, aſſerit Hahn. *ad Weſenb.l.c.n.4.* vers. Manumiſſione.

§. 15. De cetero, qvoad hodiernam obſervantiam, originis jus, non eos, qvos olim jure civili, producit effectus: Generali enim Germaniæ conſvetudine receptum, ut civis originarius, renuncians juri civitatis, & domicilium alio transferens, deſinat eſſe civis, tàm qvoad munera, qvàm jurisdictionem, perdatq; privilegia & jura civitatis, Andr.

Gail.*lib.2.obſ.36.n.7.* Johan.Zanger.*de Except.part.2.c.1.n.75.* Hahn.*ad Weſenb.l.c.fol.566.* Joh.Brunnemann.*ad l.7.C. de adopt.& l.3.C.de Municip.* Mevius,*P.7.Deciſ.188.n.3.* Imò cum hodiè nemo propter Originem verè ác propriè civitatis jus habeat, niſi eadẽ ferè præſtet, qvæ præſtare tenetur aliunde adveniens, qvi civilitatis jus acqvirit, ſicuti ex ſubſeqventibus patebit, hinc diviſio in civem Originarium & voluntarium exiguum habebit uſum.

§. 16. Seqvitur Civilitatis jus, qvod per allectionem conſeqvimur, ubi paulò curatius conſideranda venit cauſa efficiens, ſubjectum, ac modus conferendi. Qvoad cauſam efficientem ſciendum eſt, collationem hujus juris non eſſe de reſervatis Principum; Hoc ipſo enim differt à jure civitatis, qvod ab eo, qvi in Republ. ſummam poteſtatem habet, alicui vico aut pago concedi poteſt: Ita in imperio noſtro ſolius Imperatoris eſſe, conſtituere civitates, vulgò, das Stadt-Recht zu conferiren/ Publiciſtæ volunt; Martin. Rumelinus *ad A. B. p. 3. diſſert. 3. ibiq́; Nicol. Mylerus in addit.* Sic Fridericum I. Caſalenſibus jus habendæ civitatis dediſſe ſcribit Natta, *Conſ.636, n.110.* Et cum Albertus, Comes Mansfeldius, vico cuidam, propè Islebiam, civitatis jus conferre vellet, Maximilianus Imperator Anno 1514. d.6. Febr. mandato inhibitorio id fieri vetuit; Heinr.Bruning.*de variis univerſit. ſpecieb. th.13.* Wehner. & Beſold.*l.c.verb.* Stadt R. Matth.Stephani *de jurisdict.l.2.p.1.c.1.membr.2.n.115.*

§. 17. Competit autem poteſtas creandi cives, Senatui, aliisq́; Magiſtratibus municipalibus, etiam absq́; juſſu & ſcientia Domini territorialis, Buxtorff: *ad A.B.c.16.concl.*[illegible] *lit.e.* Balth. Conrad. Zahn: *Ichnograph. Municip. c.14.n.11.* Et in eorum arbitrio eſt, an aliqvem ad jus civilitatis admittere velint, nec ne, Klock: *Vol 1.conſ.29.n.1017.& 1034. Corp. Jur. Sax. p.325. b. verb.* wieder ihren Willen nicht anhalten laſ-

ſen.

ſen ꝛc. Non temerè tamen id jus alicui denegabunt, ne dominus territorialis, urgente cauſſa, cogatur ipſis invitis civem obtrudere; Landes Erl. *de anno 1609.* §. Ebenermaſſen ꝛc. *Corp. Jur. Saxon. l. c.* Zahn. *l. c. n. 24.* Notanter diximus: Urgente cauſa, cum aliàs dominus territorialis, civitatibus ſuis municipalibus invitis, civem obtrudere neqveat, ſed ipſis liberum ſit, eos tantùm, qvos ipſi velint, in civium numerum, & conſortium ſuum recipere. Knipſchild. *l. c. n. 133.*

§. 18. Videamus nunc, an omnibus indiſtinctè civilitatis jus ſit concedendum, ubi 1. Occurrunt illi, qvi jam alterius civitatis ſunt cives: Cum autem hi non ejusdem ſint farinæ, ſed aut prævia priſtinæ civitatis renunciatione alterius civitatis jus acqvirere ſatagant, aut retento ſimul priſtino jure, duarum civitatum membra eſſe deſiderent, hinc diversè res decidenda erit: Priori caſu ſolent ab advenis exigi literæ teſtimoniales, vulgò Abzugsbriefe / Kundſchafften / qvibus doceant, ſe illic loci honeſtè vixiſſe, bona gratia diſceſſiſſe, nec ullius domini proprios eſſe. Beſold. *in theſ. pract. v.* Bürger. Zahn. *l. c. n. 13.* Knipſchild *l. c. n. 125.* Unde ſimul liqvet, homines proprios in civium numerum non admitti. Coll. Argentor. *tit. de ſtatu homin. n. 18.* Vid. *Mandatum ſpeciale de ſubditis Luſatiæ de an: 1656. d. 8. Julii, in verb.* alß ordnen und befehlen wir allen und ieden ꝛc. niſi manumiſſi fuerint, & de libertate ſua per literas teſtimoniales docuerint, Knipſchild / *l. c. n. 113.* Præterea qvoq; reqviritur, ut ſi qvis nolit ulterius eſſe civis in ſua civitate, ad illam civitatem, in qvam ſe transſcribi procuravit, realiter tranſeat, ibiq; foveat larem. Qvi enim temerario auſu qværunt ſaltem abjicere Jugum ordinariæ ſubjectionis, & nihilominus tamen in priorum dominorum territoriis ſubſiſtunt, qvales Pfalburgeri conſveverunt appellari, illorum receptio omni firmitate caret, ceu patet ex Caroli IV. *A. B. tit. 16.* ad qvam vid. Bux-

torff. *l.c.lit.a.* & Magnif. Dn. Præſ: *in Dictat. ad A.B. c.16.* Sigiſmund. Imper: Conſtit. *de anno* 1431. *apud Goldaſt. Tom. 1. Conſt. Imperial. fol. 166.*

§. 19. Poſteriori caſu, ſicuti qvis duobus in locis domicilium habere *l. 5. l. 6. §. 2. ff. ad Municip:* ita etiam duarum civitatum municeps eſſe poteſt, *l. 27. pr. ff. d. t.* Confirmant id ſtatuta nonnullorum locorum; Ita Wurzenæ conſtitutum eſt; So ſich ein Bürger von hinnen an andere Ende begeben/ und daſelbſt ſetzen / und gleichwohl das Bürgerrecht allhier mit halten wolte/ derſelbige ſoll dem Rathe zum Abzuge viertehalben Groſchen/ und hernach allewege auf Michäel 6. gl. ſo lange er das Bürgerrecht zu halten geſinnet/ zuerlegen und zuſchicken ſchuldig ſeyn: Würde Er es aber über 2. Jahr nach einander unter laſſen/ ſoll er des Bürgerrechts verluſtig ſeyn. De jure tamen civili ſaltem qvis duarum civitatum civis eſſe poteſt, ſi civitates imperio Romano teneantur. Si enim diſtincta ſunt imperia, ita ut una civitas Romano Imperio ſubjaceat, altera non, neqvaqvam, licet retentâ ſuâ civitate, peregrinæ civitati ſe dicare, de qvo caſu intelligenda ſunt verba Ciceronis in Orat: pro L. Cornel: Balbo, *c. 11. & 12.* Duarum civitatum civis eſſe noſtro jure civili nemo poteſt, &c: Conf: Buxtorff: *L. c. Lit: c.* & Knipſchild: *l. c. n. 143. & 149.* Inde cum Athenienſes T. Pomponium Atticum civem facere ſtuderent, ne civitatem Romanam, hâc aſcita, amitteret, hoc beneficio uti noluit, teſte Cornelio Nepote, *in ejus Vita, c: 3.* Cæterum vice verſa cujusq; civitatis, etiam exteræ, civem, ſalvo jure ſuæ civitatis, Romanæ civitatis civem fieri potuiſſe volunt; Qvod proculdubio ob Romanæ urbis præeminentiam olim factum, argumento cujus adhuc hodie nonnulli aſſerunt, indubitati juris eſſe, qvod, ſi liberæ & Imperialis urbis civis, pateretur ſeſe acciri in numerum civium

vium ſubditorum, eo ipſo prioris civitatis jura perderet. Wehner: *in theſ: Pract: verb*: Pfalbürger.

§. 20. (2) De exteris & peregrinis monet ex Philipp: Hoenon: *Diſp: Polit: 2. concl: 24. qvæſt: 3.* Knipſchild: *l. c. n. 27. ſeqq:* eos cautè, & non niſi certis ſub conditionibus, civitate donandos eſſe. Nec id immeritò, ſiqvidem diverſorum populorum diverſi ſunt mores, qvi in republ.: perpetuos motus, læſionemq; & everſionem conſveti ſtatus excitare ſolent. Sic Francofurtenſibus, Colonienſibus, & aliis civitatibus non exiguas olim peperiſſe turbas, qvod nimis faciles fuerint in recipiendis exulibus Belgis, eisq; jura civitatis communicando, annotavit Beſold: *in Synopſ: Polit. lib. 1. c. 15 n. 11.* Qvi ergo domeſticæ qvietis cupidi ſunt, uti olim Spartani, & hodiè Veneti, exteros à ſua civitate arcent; Contra, qvi amplificationi magis qvàm tranqvillitati ſtudent, exteris omnibus receptum apud ſe præbent liberrimum. Chriſtoph: Forſtnerus *ad Tacit: lib. 11. Annal: cap. 25.*

§. 21. Eadem ratio eſt (3) diverſæ religionis hominum; Cum enim ex religionis diſſidio, animorum diverſitas procedat, anſamq; præbeat diſcordiis, rixis, conſpirationibus, ac deniq; Rerumpubl: everſionibus, ceu teſtantur Receſſus Imperii de anno. 1541. §. Dieweil wir nun/de anno: 1544. §. Die weil aber/de anno. 1548. §. Und nach dem wir/verb: daß ſolcher Religionß zwieſpalt eine gewiſſe Wurtzel unſ Haupturſache iſt alles übels/unglücks und unfalls/&c: & de anno: 1555. §. Und als der Churfürſten 2c. Inde Magiſtratui incumbit, ut unitatem religionis in civitate conſervet, nec facile diverſæ religioni addictis, civilitatis jus concedat, niſi antè jam civitas religionis reſpectu ſit mixta. Laudabiliter ergo in Ducatibus, & qvibusdam civitatibus

Auguſtanæ

Auguſtanæ confeſſioni addictis, conſvetudine aut ſtatuto introductum eſt, ut Pontificii ac Reformati à muneribus publicis ac juribus civitatis excludantur. Nec obſtat Inſtrumentum pacis, *art.:5.§. Si autem:* Ubi cautum, ſive Catholici, ſive Auguſtanæ Confeſsionis fuerint ſubditi, qvod pari cum concivibus jure cenſeri debeant: Loqvitur enim de illis, qvi jam anno 1624. publicum aut privatum ſuæ religionis exercitium habuerunt; ac proinde de Civibus jamjam receptis, non de recipiendis. Knipſchild/*d.tract: Lib.2. c.3.n.135.* Hos enim arceri poſſe ex eo patet, qvod §. *Seq. Qvi vero ſubditus.* territorii Dominis permittatur, illum ſubditum, qvi nec publicum nec privatum religionis ſuæ exercitiũ anno 1624 habuit, vel etiam, qvi poſt publicatam Pacem, religionem mutabit, ut emigret jubere.

§. 22. Multominus [4] Judæis civilitatis jus conferendum eſt; Nam præter abominandam eorum Religionem, qvâ Chriſtum blaſphemiis proſcindunt, ut proinde nullo modo ipſis ſynagogæ ſint concedendæ, Zahn: *dict: tract: c.77.n.33.* ſuppetunt aliæ, ſat graves rationes, qvæ collationem juris civici prorſus impediunt: *Sunt* infames, viles & turpes perſonæ, *l.1. §. 1. C. de S.S. Trinit: l.fin: §.ult: C. de Judæis. Novell: 45.pr:* ſunt homines leves, fidei ſceleſtæ, perjuriis aſſveti, & qvotannis in die Kippurim, ſingulari qvadam precatione orant Deum, ut omnia juramenta & vota irrita eſſe jubeat, qvæ per totum præſtiterunt annum. Zahn. *l. c.n.37.* Sunt uſurarii, qvi brevi tempore gravi, immoderatoq; fœnore Chriſtianorum exhauriunt facultates, *c. 12. c. 18. X. de uſur: Reform:* Gut. Policey zu Augſpurgk *anno:* 1530. *tit:* von Jüden und ihren Wucher. *& anno:* 1548. *eod: Tit: Receſſ: Imp: de anno:* 1576. §. neben Berathſchlagung. Policey Ordn. zu Franckfurth

an:

an.1577.tit.20. Ecqvis ergò eos inter concives recipiet? Recipiendi tamen ac defendendi poteſtas competit illis, qvi jura Regalia & ſuperioritatis territorialis habent. Policey-Ordn. *de an.1548.& 1577.loc.ſupr.allegat.* Beſold. *part.V.conſ. 238.n.23* qvibus ſuadet Knipſchild. *d.tr.lib.2.c.30.n.28.ſeqq* ne Judæos aliter in ſuis civitatibus tolerent, qvam certis ſub conditionib9, qvarum viginti recenſet. Non poterit tamen ſuperior ſuos Magiſtrat9 adigere, ut contra voluntatem Judæos in civitatem recipiant: Surdus, *Conſ.174.* Klockius, *Vol.1. conſ 29.n 1031* Knipſchild: *l.c.n.14.* Semel autem recepti, nec in perſona, nec in bonis offendi debent, *l.14.C.de Judæis.* Si modo qvietè degant, nec qvicqvam turbulentum tentent, legibusq; contrarium: *l.6.C.de pagan.v.Nov.Leon.55.*

§. 23. Aliud dicendum de Judæis baptizatis, cum eorum converſio adeò favorabilis ſit, ut qvocunq; loco converſi baptizentur, omnia jura & privilegia civium eos acqvirere voluerit Concilium Baſileenſe, *Seſſ.19.* annotante Knipſchild / *l.c.n.52.* Ceterum hic favor ad præterita extendi neqvit, cum baptiſmus qvoad pœnam civilem non abluat & extingvat anteriora delicta; Speckhan: *Centur.2.claſſ.1.qv.17.* Gilhauſen. *Arb.Crim.c.3 part.2.n.11.* qva in re tamen judicis arbitrium non planè excludimus. vid. Tib. Decian. *Tract. Crimin.l.5.c.15.n.2.*

§. 24. Qvoad 5. ſpurios non adeò expeditum eſt, cum à paternæ turpitudinis labe non planè ſint immunes, ſed opinione honeſtorum hominum pro infamibus habeantur. Ludvvel. *Exerc.Juſt.8.th.8.lit.b.* Strauch. *Diſſert.Juſt.9.th.40.* Joh. Philippi, *lib.2.Uſ.Pract.Juſt.Ecl.70.* propter qvod ad nulla officia niſi ea plus oneris, qvàm honoris habeant, *l.12. C.de Decurionib. l.1. C.de his qvi non impletis Stipend: lib.10. l.unic. C.de Infamibus.* & defectus competitorum adſit, *l.3.§.2.ff.de Decurionib.* admittuntur. Petr. Heigius *Part.1.qvæſt.21.n.48.*

ſeqq. Hinc etiam plerorumq; locorum obſervantia neminem ferè aut difficulter admodum, niſi exhibito teſtimonio natalitio, vulgò Geburts-Brief/in civium conſortium adſciſcere ſolet, B. Carpz. *Juriſpr. Forenſ. P. 2. C. 6. Def. 15, n. 1.* Æqvius tamen cenſent Georg. Lud. Lindenſpür ad jus Provinc. Würtenberg. tit. von Bürger-Recht/*n. 4. ſeqq.* Knipſchild. *d. lib. 2. c. 29. n. 122.* ſi ſpurii qvoq;, modò pietate, virtute & aliis animi dotibus egregiis ſint præditi, civibus annumerentur; cum experientia teſtetur, ſpurios ſæpe virtutibus alios, legitimè natos ſuperaſſe, & eorum ope imperia nonnulla vel fundata, vel aucta fuiſſe.

§. 25. Qvod 6. legitimatos concernit, judicamus eos civium conſortio dignos, ſive legitimatio facta per ſubſeqvens matrimonium, ſive per reſcriptum Principis. In illis enim retrotrahitur matrimonium ad tempus conceptionis & nativitatis, & omne vitium matrimonii præcedens purgatur. Matth. Weſenb. *P. 1. Conſ. 44. n. 40. ſeqq. & P. 3. Conſ. 101. n. 32.* in tantum, ut & ejusmodi teſtimonium, qvod nati fuerint ex probis honeſtisq; parentibus, ac thoro legitimo, ejusmodi legitimatis non ſit denegandum. Carpz. *d. Def. 15, n. 3 ſeqq.* Hi verò, qvi legitimati per Reſcriptum, ſive immediatè ab ipſo Principe, ſive mediatè, per Comitem Palatinum, generaliter & abſolutè ſunt habilitati, abſterſâ maculâ ex coitu parentum illegitimo, ac proinde capaces ſunt jurium civitatis, civiumq; conſortii. Carpz. *d. P. 2. C. 6. Def. 16.*

§. 26. Circa modum conferendi ſciendum, moris eſſe, ut nemo in civium numerum adſumatur, niſi Senatui juramentum homagii præſtet, debitamq; obedientiam & morem ſe geſturum, ſub fidei religione polliceatur. Matth. Stephani, *de Jurisdict. lib. 2. part. 1. c. 7. n. 212.* Et hoc juramentum ſubjectionis, der Bürger-Eyd / in perſona præſtari ſolet, nec ad hæredes eſt tranſitorium. Socinus, *Vol. 3. Conſ. 84. n. 9.*

Unde

Unde ſemper renovandum in filiis,qvi ſeſe à lare paterno ſeparant , vel defuncto parente privilegiis ac juribus civitatis frui cupiunt.P.Surdus,*Deciſ.148.n.5.ſeq.*Wehner,in *tb.pract.* *Verb.* Bürger. Ut hīc non attendatur differentia inter Originarium & advenam. Knichen. *de Juriſdict. territor.c.3.n.162.*Zahn.*d.tr.c.14 n.16.* Ita per Ordinat. Provincial. Megapolitenſ. tit. von wüſten Häuſern / §. gleicher geſtalt ꝛc. oportet liberos civium , ſi focum & ignem tenere velint, poſt elapſam unam qvaterdenam à tempore nuptiarum,juramentum Magiſtratui præſtare. Jure verò municipali Hamburgenſi in Appendice art. 57. novi ſponſi ad proclamationem non admittuntur, niſi miniſtrum Eccleſiæ de acqviſito civilitatis jure, oblato teſtimonio certiorē fecerint, neq; civium liberi hic ſunt exemti,qvin potius præſtito juramento civico Senatui 3.Rhl. 8.Gl. (10.Marckſtück) pro inſcriptione in album civium, pendunt.

§. 27. Ab hoc juramento excipiuntur (1) Mulieres, Knipſchildt/*d. l. 2. c. 29. n. 131.* ita tamen,ut ſi maritos non habeant,adeoq; familiam ipſæ regant, interponant alium, qvi in earum animam,uti loqvuntur,juret, & qvoad onera muneraq; publica,ea,qvæ civi incumbunt,promittat,vocaturq; ein Lehnträger. Qvod temerè nonnulli extendere conantur ad eos qvoq; caſus,ubi mariti in civitate habitantes,juramento ſe Magiſtratui oppidano ad obſeqvium obligare detrectant,nihilominus autem negotiationes exercere civicas deſiderant,ac proinde uxoribus ſuis jura civitatis conferri petunt,oblatò aliò cive, qvi harum nomine juramentum præſtet. Cum enim id fiat ex ſingulari ambitione,qvæ animi ægritudo civitatibus maximè noxia,& eorum plerumq; eſt , qvi otio abundantes carent dignitate, juxta Thom: Hobbes: *de Cive c. 12. n. 10.* ſcilicet ut eludant autoritatem Magiſtratus,ejusq; imperio ſe ſubducant,hinc

Digitized by Google

frivolis eorum precibus indulgendum non eſt : qvem in modum reſponderunt Scabini Lipſ: ad Conſ: Senat: Wurz: Menſ: Aug: 1679. verb: in übrigen der contract mit der Frauen ein ſimulirtes Werck iſt/wodurch Er ſich euerer Bothmeßigkeit zuentbrechen/und nichts deſto weniger das jenige/ſo er bishero gehabt und exercirt, zubehalten gedencket / dergleichen Scheinhandel in Rechten verbothen und nicht zuläßig ꝛc. ꝛc. Huic malo jam olim in Silesiâ, cum Nobiles aliunde venientes in urbibus emerent domus, easq; uxoribus ſuis adſcribere curarent, occurrere voluit Imperator & Rex Bohemiæ, Ferdinandus, ſingulari Reſcripto ad Epiſcopum Uratislavienſem de dato Pragæ d. 26. Junii anno: 1589. qvod verbotenus recitat Georg. Laurent: Bleſendorff: *de Jure hoſpitaturæ c. 3. §. 8. n. 24.* Intereſt enim ſuperiorum, non eſſe in civitatibus, niſi fide devinctos. Mevius *P. 4. Deciſ: 196. n.* 5. Unde & illi, qvi aliqvandiu ſaltem in civitate commorari volunt, ſi è re eſſe videatur, juramento adſtringi poſſunt. Idem *P.* 5. *Deciſ: 240.*

§. 28. Eximuntur (2) à ſubjectionis juramento Principum Conſiliarii, aliiq; eminentiores miniſtri, licet ſub jurisdictione inferiorum Magiſtratuum bona emant. Hoc etenim juramentum tacitè remiſſum ipſis fuiſſe cenſetur, ob ſummam fidem, propter qvam Princeps eos in hoc dignitatis faſtigium evexit, & in partes corporis ſui adſumſit. *L.* 5. *C. ad Leg: Jul: Majeſt: Can: Siqvis, 11. cauſ: 6. qvaſt: 1.* imo patres ſibi elegit, *§. 4. J. qvibus mod: Jus patr: poteſt: ſolv:* Bleſendorff. *d. c. 3. §. 9. n. 26.* Poſſunt tamen Conſiliarii, ſi in civitate aliqva larem foveant, Senatus oppidani Jurisdictionem agnoſcere, & non obſtante dignitate beneficio primæ inſtantiæ uti. Carpz. *Lib: 1. Reſp: 13. n. 16.*

§. 29. Idem ferè (3) qvoad reliqvos Principum officiales, & miniſtros obtinet, qvos Principes in ſuam recipere cliente-

clientelam,& nihil in eos oppidanis permittere ſolent. P. Heigius, *p. 2. qvæſt: 25. n. 16.* Qvod ſi tamen negociationes civiles tractare velint, tenentur jus civicum, remiſsò ſubjectionis juramento, ſtipulata ſaltem manu, niſi contraria adſit conſvetudo, acqvirere, ceu patet ex Noviſſ: Reſol. Gravam: *tit.* von *Inſtiti*en Sachen/ *n. 107.* verb: Daß nicht allein ermelter Hauptmann/ ſondern auch andere/ wer die ſeyn mögen/ dem Rathe den gewöhnlichen Handtſchlag leiſten/ oder ſich der Bürgerlichen NB. Wohnungen und Nahrung gänzlich enthalten ſollen. Et *n. 108.* verb: Die bey ihnen befindliche officirer / Förſter/ und Beambte/ wenn ſie Bürgerliche Häuſer beſizen und Bürgerliche Nahrung treiben wollen/ uf ſolche maſſe das Bürger Recht / wenn es anders nicht hergebracht/ zugewinnen/ beſchieden ſeyn ſollen.

§. 30. Ex eodem *num: 107. Nov: Reſol: Grav:* apparet (4) Miſenæ à Clericis jus civilitatis ambientibus, non exigi juramentum obſeqvii, ſed ſufficere promiſsionem ſtipulata manu. Ceterum ubi hoc conſvetudine introductum non eſt, & hos, ſi civiles negotiationes exercere velint, ad præſtationem juramenti adſtrictos eſſe exiſtimamus. Non obſtat, qvod Clerici & eorum bona libera eſſe debeant, à ſeculari poteſtate, *per cap: qvanqvam 4. de Cenſib: in 6.* Id ipſum enim diſplicet hodiè ſanioribus Pontificiis, qvod patet ex Dd. allegatis Carpz. *Juriſpr: Conſiſt: Lib. 3. tit: 1. D. 3. n. 9.* Et certum eſt, qvoad bona patrimonialia Clericos pro Laicis haberi, Carpz. *d. tr: Lib: 2. tit: 19. D. 311. n.* 11. Cur ergò poſtulante Magiſtratu non præſtarent Clerici juramentum, cum id per ſe malum non ſit, *c. 26. X. de jurejur: can. 3. c. XXII. qv. 1.* nec male faciant, qvi benè utantur juratione, *can. 5. d. c. 22. qv. 1.* Carpz. *d. lib. 3. tit: 2. Def: 22. n. 14.*

§ 31. Præter juramentũ, certa pecuniæ ſumma exigi à novis civibus ſolet; Ubi tamen excepti ſunt cives originarii, qvi utplurimũ non niſi exiguam pecuniam pro receptione in album civium pendunt Knipſchild/ *d. c. 29. n. 129.* Confer

 Jus

Digitized by Google

Jus Municip: Hamburg: in Append: *art.*: 57. Hic occurrit dubium de liberis natis anteqvam pater civibus aggregaretur, an & hi pecuniam ſolitam ſolvere teneantur. Regulariter negativè reſpondendum eſt, per ea, qvæ adduximus ſupra th. 9. Optima tamen deciſio ex cujuslibet loci conſvetudine peti debet. Ita Hamburgi diſtingvendum, an liberi jamjam compleverint annum ætatis duodecimum nec ne, cum pater eorum inter cives reciperetur: Priori caſu uti extranei civilitatis jus petere tenentur, poſteriori verò fruuntur Origine patris. Poteſt tamen & gratis conferri civilitatis jus, vel propter perſonæ merita, ut miniſtris Eccleſiæ, vel ex commiſerationes v. g. ob religionem patriâ pulſis.

§. 32. Sed nec illud ſicco, qvod ajunt, pede prætereundum, paſſim in Germaniæ civitatibus vigere ſtatuta ac conſvetudines, ne advenæ ultra certum tempus tolerentur, niſi jura civium redimant. Ita de conſvetudine qvarundam urbium teſtantur Gail: *L. 2. Obſ: 35. n. 8.* Weſenb: *Conſ: 1. n. 15.* Wehner. *L. c.* Zahn: *d. tr. c. 14. n. 21.* non diutius anno tolerari. Jus Lubecenſe indulget ſpatium trium menſium; Mevius, *P. 4. Deciſ. 85.* Qvod ſiqvis tempore hoc elapſo civitatis jus adſumere recuſet, captis pignoribus non iniqvè coërcetur. Mevius *L. c.* Imò ſub pœna, & inhibitione negociationis civicæ, der Bürgerlichen Nahrung/ compelli poteſt: Prout reſpondit Ampliſſ: Facult: Jurid: Lipſienſ: ad Conſultat: Senatus Dubani, M. Nov: 1667. verb: So wird er wegen ſeines erkaufften Hauſes das Bürgerrecht ꝛc. In nochmahliger halßſtarriger Verweigerung aber ſeyd ihr endlich wohl befugt/ernanten M. W. daß er ſich aus der Stadt Düben gar hinweg begebe/aufferlegen V. R. W. Simile reſponſum dedeꝛunt Scabini Lipſienſes, ad conſult: Senat: Wurz: M. Auguſt: 1640.

§. 33. Declaratum hactenus fuit, quomodo quis origine & allectione civitatis jura conſeqvatur: Inquirendum nunc erit, an & aliis modis hujus juris acqviſitio procedat. Apparet autem ex ſupra dictis §. 6. per confœderationem, ſine allectione aut reſcripto [illegible]-

[illegible]

lari poſſe aliqvem civilitatis jus promereri. Porrò per matrimonium in qvibusdam locis civem effici, ſi uxorem inde ducat, ex Vincent: de Franchis *Deciſ 516. n. 5.* docet Bruning. *de Var. univerſ. ſpecieb. concl. 40. lit. a.* Et id ipſum etiam innuere Jus Provinciale Würtenbergicum *fol 318.* monet Knipſchild. *d. c. 29. n. 24.* Tandem & tempore acqviri civilitatis jus, ſi qvis per decem annos in civitate ſteterit, *ex l. 2. C de incol.* ſtatuit Dionyſ: Gothofredus *ad d. l.* & Joh. Bodinus *de Republ. lib. 1. c. 6 p. m. 93.* qvi ſimul obſervantiam nonnullorum locorum adducit. Huc reſpexiſſe videtur Jus municipale Hamburgenſiũ *l. ſupr §. 13.* citato, qvod homines proprios frui civilitatis jure patitur, ſi decem annis qvietè domicilium in civitate habuerint; ſunt tamen alii, qvi per *l. 23. §. 1.* ibiq; *Gloſſ C. de agric. & Cenſit.* 30. annorum ſpatio præſcribi civilitatem exiſtimant; ſed nec hujus praxin in terris noſtris haberi, ſed ad matriculam potius civitatis recurri, annotat Zahn: *d. c. 14. n. 22.* qvanqvam qvid huic, qvi tanto tempore civis jure usq; fuit opponi poſſit, non appareat.

§. 34. Finis, qvem intendunt illi, qvi receptionem inter cives qværunt, & obtinent, conſiſtit in eo, ut liceat frui omnibus omninò beneficiis ac juribus civitatis, nec non civiles negociationes exercere, qvod ex formulis etiam conferendi Jus Civilitatis patet. Ita in Patria Conſul regens his verbis: Allhier verleihe ich Euch das Bürgerrecht in Nahmen ꝛc. ꝛc. und mache Euch fähig und theilhafftig aller Bürgerlichen Gerechtigkeit und Wohlthaten &c. confert. Et Romanorum qvidem civium maxima olim privilegia erant, qvæ ſummatim recitat Gothofr. *ad l. 1. C de hered. inſtit. lit n.* Qvænam autem commoda modernis temporibus habeant illi, qvi à Pontifice aut Imperatore, civium Romanorum nomine honorantur, ſibi hactenus non licuiſſe expiſcari, ſcribit Joh Limnæus *de Jur. Publ. Tom. III lib. 7. c. 1 n. 8 Adde eundem in addition. Tom. ad ill. loc.*

§. 35. Inter civiles autem negociationes, præcipua plurimis in locis eſt braxatio & venditio cereviſiæ, qvæ denegatur illis, qvi cives non ſunt, ceu patet non modo ex ſtatutis civitatum, e.g. in Patria extat Statutum: Niemand ſoll brauen noch ſchencken / er habe denn zuvor bürgerlichen Gehorſamb und Pflicht / wie gewöhnlich / angelobet ꝛc. Sed etiam ex Ord. Prov. Ducum Saxon. Erneſti & Alberti ann: 1512. & Elector: Sax: Auguſti anno 1561. rubr: von Brauen und ſchencken / nec non ex Nov. Reſol: Gravam: Sereniſſ. Elector: Johannis Ge-

orgii

Digitized by Google

orgii II. piæ memoriæ, tit. von Juſtitien Sachen num. 118. ſeqq. Qvoad liberos tamen receptum, ſi ædium paternarum ſint poſſeſſores, non obſtante ſtatuto, qvod ſolis civibus coqvere & divendere cereviſiam concedit, ut ipſis cereviſiam braxare permittatur: præcipuè, ſi adhuc minorennes ſint, & in communione, licet nondum jura civiliatis præſtito juramento ſint aſſecuti. Hoc enim privilegium non eſt merè perſonale, ſed plerumq; ipſis ſimul inhæret ædibus, & tanqvam jus reale poſſeſſorem ſeqvitur. Carpz. *P. 2. C. 6. D. 6. n. 7.* Joh. Otto Faber. *de Jur. Cereviſ. P. 1. c. 2. §. 7.* Idem qvoad hoſpitaturam, qvæ etiam civilis negociatio eſt, Bleſendorff. *d. c. 3. §. 7.* in Liberis eſſe ſtatuendum, non ambigimus, aliter tamen ſe res habet, ſi diviſio inter ipſos facta, & futurus poſſeſſor habilis ſit ad ſuſcipiendum Jus Civilitatis, tunc enim ſtatutis loci tenetur.

§. 36. Notabilis qvoq; acquiſiti juris civilitatis effectus eſt, quod in ſucceſſione Geradæ, rerum expeditoriarum, (ad quas argumentum à Gerada rectè ducit Carpz. *Deciſ: Sax: XXIII. n. 6.*) Mobilium, Nominum, & actionum, obſervanda ſint ſtatuta & conſvetudines ejus loci, ubi defunctus civis fuit, licet alibi moriatur. Carpz. *P. 1. C. 14. D. 54. & P. 3. C. 12. D. 13. & 14.* Sam: Stryk: *de ſucceſſione ab inteſt: c. 2. art: 3. §. 2. 3. 4.* Niſi forte mobilia ad certum locum fuerint deſtinata. Carpz. *d. C. 12. D. 15.* qvo caſu eorum diviſio inſtituenda erit ad inſtar immobilium, in qvibus ſecundum ſtatuta loci, ſub cujus juriſdictione ſita ſunt, ſucceditur. Nov. Deciſ: Sax: LIV. Hanc tamen ſuccedendi rationem communem cum civibus habent incolæ, ſi alterius juriſdictioni non ſunt ſubjecti. Carpz. *d. C. 14. D. 53. & C. 12. D. 16.* Ita qvoad ſtatutum Dresdenſe de ſucceſſione Geradali, qvod eo etiam gaudeat incola, pronunciavit Ampl. Fac. Jur. Lipſ. M. Mart. 1667. in cauſa Chriſtoph Heinrich Bohrs.

§. 37. Sed qvid juris qvoad teſtamenta, an etiam ſtatuta loci, ubi qvis civis fuit, inſpiciuntur, an ejus loci, ubi teſtamentum à moribundo in tranſitu eſt confectum. Notum enim eſt, qvod Norinbergæ, Viennæ, Venetiis, aliisq; in locis vigeant ſtatuta, ut ſubſiſtant teſtamenta coram duobus vel tribus teſtibus condita. Carpz. *P. 3. C. 4. D. 41. n. 3.* Videbatur dicendum, qvod obſervanda ſint ſtatuta domicilii, non loci, ubi teſtamentum ordinatum: Cum ſtatuta localia non poſſint habilitare vel inhabilitare non ſubditos. Bartolus *in L. 1. C. de tut: vel Curat: dat:* Sed verius eſt contrarium, cum circa ſolennitates actuum attendi debeant ſtatuta & conſvetudines loci, ubi actus cele-

bran-

brantur *L. 6. ff. de evict: L. 34. ff. de R. J.* Hinc axioma Bartoli certum erit de ſtatutis perſonalibus,qvæ ſolas perſonas ſeu incolas reſpiciunt, non etiam de illis,quæ actum aliqvem qualificant,eiq; certa attribuunt requiſita & ſolennitates,ac proinde magis ſunt realia , & ad forenſes, qvi actum illum celebrare volunt,jure extenduntur. Carpz. *lib: 3. Reſp: 13. n. 15. & 19.* Cæterum,qvod benigne ita receptum,ut teſtamentum civis loci,in qvo plures ſolennitates reqviruntur , juxta ſtatuta loci,ubi mortem obiit, paucioribus ſolennitatib. conditum in civitate ſuâ valeat;convertendum nō eſt,qvaſi teſtamentum civis loci,in qvo pauciores ſolennitates reqviruntur,ſtatutis loci, ubi plures ſolennitates reqviruntur,&ipſe mortuus eſt,haud ſervatis,non valeat in civitate ſuâ.

§ 38. Qvemadmodum autem naturalis æqvitas poſtulat, ut qværens commoda,incommoda qvoq; ſubeat, *L. 10 ff. de R. J. c. 55. de R J. in 6.* ita acqviſitum jus civicum non ſolum producit effectus favorabiles & lucrativos,qvales in præcedentibus adduximus ſed etiam oneroſos,qvos ſuſtinere & adimplere tenentur cives,etiamſi acqvirentes civitatem eos initio ignoraſſent,Surdus *lib: 3. conſ: 437. n. 17.* Sic noviter receptus civis ad æs alienum jam diu contractum tenebitur. Brunnemann: *ad L. 76 ff. de Judic: n. 4.* Qvilibet enim videtur ſe obligare Legibus,actui,qvem facit, propriis. *arg: L. 38. ff. de acqvir: hered:* Zahn: *d. tr. c. 14. n. 17 18.* Conſpiciuntur autem hi oneroſi effectus in ferendis oneribus partim perſonalibus,partim & præcipuè in realibus Ad hæc indiſtinctè qvilibet eſt obſtrictus,qvi in urbe civilem negociationem exercet,niſi ſpeciatim immunitatem impetraverit,etiamſi ſit officialis aut miniſter Principis,Mevius, *P. 3. Deciſ: 321.* ubi notabilem ſimul differentiam ponit,an ex privilegio,ſtatuto,vel antiqva conſvetudine civitatis negociari non debeat,niſi civis,an verò ejusmodi jure civitas careat,& unicuiq; negociandi licentia ſit. Priori caſu devinctum eſſe unum quemq; ut & civis fiat,& onera quæ civium ſunt, ſuſtineat; poſteriori caſu ſaltem teneri ad ea , qvæ iſtius negociationis intuitu ſunt impoſita.

§ 39. Subſidium perſonale,qvod concernit,vi juramenti præſtiti obſtrictus eſt qvilibet civium, diurno & nocturno tempore exorto incendio,tumultu,aut alia neceſſitate urgente,ad juſſionem Magiſtratus comparere,niſi arbitrariam ejus incurrere pœnam velit. Optime verò conſultum eſt oppidis,in qvibus ordinatione publicâ præſcriptum ſingulis civibus pro ratione officiorum,artium,& opificiorum , ubi & qvo-

Digitized by Google

qvomodo,ſi neceſſitas poſtulet,dato ſigno ſe ſiſtere debeant, ne confuſus civium concurſus magis ſit impedimento,qvàm auxiliis.

§. 40. Superſunt contraria,qvæ civilitatis jus tollunt; Nimirum (1)amittitur civilitas renunciatione,qvæ cuilibet civi libera eſt*L.5.§.fin: ff. de capt: & poſtlim: reverſ:* & *L.12.§.9.ff.eod:*Mevius,*P.5.Deciſ:240.n. 1.* etiam invitoMagiſtratu;cum licentia renunciandi adeò naturalis ſit, ut neqvidem pactum in contrarium valeat,p. l. 14. ff. pro Socio, & §. manet,Inſt: de ſoc: vid: Magnific: Dn: Præſes in Diſcurſ: ad A. B. cap. 16. modò fiat legitimè,ſecundum cujusq; civitatis mores,& ſtatuta,ac ſine dolo,nec fortè Statutô huic libertati ſit derogatum Hahn:*ad Weſenb: l. c.fol:569.* Statuto tamen derogari neqvit libertati emigrandi,ſiqvis propter religionem mutare civitatem velit,prout apparet ex caſus figuratione & Reſponſo Facult: Helmſtad: apud Hahn:*l. c.fol: 565. ſeqq:* Fit autem legitimè renunciatio,ſi abituriens reſidua tributa & collectas,nec non certam pro diſceſſu partem ex bonis ſuis Magiſtratui ſolvat,Receſſ: Imper: Auguſt: de anno: 1555. §. Wo aber unſer ꝛc. verb: gegen Abtrag der Nachſteuer / wie es eines ieden Orts von Alters her üblich herbracht.

§. 41. Contra doloſè fit renunciato(1)ſiqvis ad declinandum forum,aut in contemtum Magiſtratus renunciet juri civilitatis, maneat autem in loco,qvod concedendum non eſt; Herm: Eſ: Roſacorb: in *Prax:forenſ.c. 20. n. 20.* Brunnemann: *ad l. 20. n. 4. & L. 30. n. 2. ff. ad municip:* Samuel Pufendorff: *de Obligat: erga patr: §.36.* SicScabini Lipſienſ: ad conſult: Senatus Wurzenſ: M. Auguſt: 1679. Zum andern und auf die Dritte frage ſprechen ꝛc.ꝛc. verb: Dieweil aber dennoch vermöge euerer Statuten/keiner bey Euch ein Hauß haben kann/ niemand auch zu Brauen und zuſchencken befugt / er ſey denn Bürger/ und ermelter N. ſein Hauß nicht verlaßen/weniger die Braunahrung einſtellen will / ſondern damit anoch continuiret/in übrigen der Contract mit der Frauen ein ſimulirtes wergk iſt/wodurch Er ſich euerer Bothmeßigkeit zuentbrechen/ und nichts deſtoweniger dasjenige/ ſo er bishero gehabt/und exercirt, zubehalten gedencket/ dergleichen Schein handel in Rechten verbothen/und nicht zuläßlich / hiernechſt ſeine Herrſchaffts-dienſte dergeſtalt / daß Er Bürgerlichen Gehorſamb nicht leiſten könne/keines weges beſchaffen/und von den Weibe ihr das ihrige auszuantwortten / oder gutzuthun/ mit beſtande nicht

anze-

angehalten werden kann/nach mehrern inhalt der überſchickten Acten und deuter Frage; So hat auch die von ihm beſchehene Aufkündigung des Bürgerrechts nicht ſtadt/Er mag aber noch zur Zeit mit einiger Straffe nicht beleget werden/Aller V. R. W. (2) Si renuncians tunc ſeſe ſubducere velit, qvando æs alienũ, qvod à civitate eſt contractum, iterum exſolvi debet; & qvidem ex bonis non civitatis, ſed ſingulorum. Hugo Grotius *de J. B. & P. lib*: 2. *c.* 5. §. 24. *n* 2. Aliisq; modis.

§. 42. Amittitur 2. jus civilitatis, ſi civis deſerat civitatem periclitantem & in diſcrimine poſitam; *Dd. citati.* 3. Propter rebellionem, ſi qvis hoſtilia contra civitatem tentet. Surdus *l. c. n. 12.* qvod etiam ad horum liberos, conceptos ac natos poſt rebellionem, *arg. l. 2. C. de liberi: & eor: lib.* extendit Boër[illegible] *Deciſ. 13. n. 27.* 4. Ob alia qvoq; delicta, v. c. qvæ relegatione, præprimis perpetua, cöercentur. 5. Matrimonio, juxta conſvetudinem & ſtatuta qvorundam locorum. 6. Putant nonnulli perdi civitatem, ſi qvis diu abfuerit, & incoluerit Rus, vel aliud oppidum, ſed verius eſt contrarium, niſi animus dimittendi civitatem aliunde appareat, v. c. ſi qvis immobilia ſua divendiderit, & cum reliqva ſuppellectile & familia ad alia loca habitatum iverit; Vide Zahn *d. c. 14. n. 29. ſeqq.* Frid: Pruckmann. *Vol. 1. Conſ. 31. n. 85.* Civis tamen Academicus, ſi per qvinqvennium ab Academia abfuerit, qvaſi tacitè renunciaſſet, pro tali ulterius non habetur. Carpz. *lib. 2 Reſp. 32. n. 22.* Qva ratione qvoqve 7. ſartores hoc jus amittere posſint, pateſcit ex Ordin. Polit: *§. 5. vers.* und weil durch die Schneider ꝛc. Deniq; tandem per deditionem amittitur. *L. fin. ff. de Legationib.* Vid. Grot. *lib. 2. c. 21. § 18.* & Magnif. Dn Ziegler. ad Grot. p. m. 484. & 485. Aliisq; modis, qvos explicare omnes in præſentiarum noſtrum non eſt; ſubſiſtimus potius, judicium relinqventes cuiq; ſuum.

S. D. G.

Ad literatiſſimum Dn. Reſpondentem,
CHRISTIANUM FEHRIUM.

ITa verò de Jure, qvo qvis Civis eſt, in compendio ſatis eruditè differis: evolutâ voce, mon[illegible] adjecto uſu. Jungis ubiq; Jura priſca & patria, accommodasq; notitiam Juriſprudentia Romana ad decus & laudem tua Reipublica. Qvod qvotie[illegible] pompam ſit, in obtrectatore etiam admirationem excitat & cul[illegible] Ceterum uti freqvens in-

ter

ter nos aliàs eſſe ſolet confabulatio; ita nolim diſſimulare, quæ mihi circa allatum à te §. 19. locum Ciceronis, pro Balbo, fortè in mentem venerint. Scio enim te non ambigere, luculentos Veteris Juris theſauros his libris condi. Ait ille: neminem Romanum plus qvàm unius civitatis eſſe poſſe: atq; hoc præclarè & divinitus jam inde à principio Romani nominis ita comparatum. c. 31. Hîc certum eſt, non repugnare, plurium Civitatum civem exiſtere. Conſtat autem, Conditores illius Reip. curam habuiſſe potiſſimùm augendi imperii. Quâ enim ratione exteras Gentes ex omni regione ad petendam Civitatem alliciebant, qvòd ſuam ideò non amitterent: eâdem deterrebant ſuos, ne aliarum Civitatum Cives fierent; metu amittendæ Romanæ. Ergò, ut extraneus quis Civitatem Romanam acciperet, neceſſe non erat, ut is populus apud qvem natus erat, fundus factus eſſet. *Atq; hoc caput eſt eruditæ iſtius diſputationis, qvam ibi inſtituit Cicero. In qvâ ut multus ille ſit, facile tamen mecum fateberis, mi* Fehri, *interpretatione aut emendatione etiam, iſtam ſententiam indigere:* Si juſſiſſet P.R. aliqvid, ſi id adſciviſſent ſocii populi, ac Latini, & ſi ea lex, qvam nos habemus, eadem in populo aliqvo tanqvam in fundo reſediſſet, ut tum lege eadem is populus teneretur. *c. 20. Ed. Gen. 1660. Mallem hîc,* uteretur. *Dicit enim: populis fœderatis, qvi leges qvasdam Romanas ultrò receperant, ac ſuâ ſententiâ comprobârant, ſecundum easdem jus à Romanis fuiſſe reddendum. Seqvitur:* non, ut de noſtro jure aliqvid minueretur, ſed ut illi populi aut jure eo, qvod à nobis eſſet conſtitutum, aut aliqvo commodo, aut beneficio, uterentur. *Vides,* teneretur *illud exponi,* uterentur. *Sed neq; hîc ſubſiſto. Qvomodo enim liberum potuerit eſſe ei populo, qvi legem aliqvam Romanam jam comprobavit, utrum velit aut hôc jure Romano, aut aliqvo commodo, aut beneficio uti? Scribe igitur:* Sed ut illi populi jure eo, q. â n. e. c. ut aliqvo commodo, aut beneficio uterentur. *Concludit Cicero: Balbo datam civitatem rectè conſervari, etſi populus Gaditanus non ſit fundus factus. Non enim ideò minui poſſe Jus Romanorum circa communicandam Civitatem, qvòd populus, apud qvem natus ſit novus civis, beneficiis juris Romani non utatur. De mente Gellii lib. 16. c. 13. & lib. 19. c. 8. colloqvemur fortaſſe ſeorſim. Tu interea, quæ doctè ſcripſiſti, eâdem nunc arte publicè tuere. Witt. 12. Mart. 1681.*

L. C. Wæchtler.

VAI 1522